

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Mendacium h  
cum fontibus proximo et primo

Non nulli obstetricum mendacium  
conantur asserere  
non esse peccatum, maxime quia illis  
mencientibus scriptum est:  
Quod edificauit eis Dominus domos.

In qua magis recompensatione  
cognoscitur quid mendacii culpa  
mereatur. Nam benignitatis earum  
merces que eis in eterna potuit uita  
retribui, premissa culpa mendacii in  
terrena est recompensatione declinata.

Gregorius super illo loco.

Nonnulli uero obstetricum fallacia  
conantur asserere, hoc mendacii genus  
non esse peccatum, maxime quia illis  
mentientibus scriptum est:  
„quod edificauit eis domos Dominus“  
(Exo. 1:21).

In qua magis recompensatione  
cognoscitur, quid mendacii culpa  
mereatur. Nam benignitatis earum  
merces, que eis in eterna potuit uita  
retribui, premissa culpa mendacii in  
terrena est recompensatione declinata.

Gratianus, *Decretum*, 2.22.2.20  
(*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg  
ed., col.873).

Nonnulli uero ex obstetricum fallacia  
conantur asserere hoc mendacii genus  
non esse peccatum, maxime quod illis  
mentientibus scriptum est:

Quia aedificauit eis Dominus domos  
(Exo. 1:21).

In qua magis recompensatione  
cognoscitur quid mendacii culpa  
mereatur. Nam benignitatis earum  
merces quae eis in aeterna potuit uita  
retribui, pro admissa culpa mendacii, in  
terrena est recompensatione declinata,  
ut in uita sua quam mentiendo tueri  
uoluerunt ea quae fecerunt bona  
reciperent et ulterius quod exspectarent  
mercedis suae praemium non haberent.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*,  
18.3 (CCSL 143A, M. Adriaen ed.,  
p.889, ll.26-35).